



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Die XX. Julii. In Festo Sancti Hieronymi Æmiliani
Confessoris**

Paderbornae, 1770

In III. Nocturno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62828](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62828)

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

Cap. 19. v. 13.

Lectio VII.

In illo tempore oblatis sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chrysostomi.

Homil. 62. in Matth.

Cur Discipuli pueros abigebant? Dignitatis causâ. Quid ergo ille? ut doceat illos modestè saperè, fastumque mundanum conculcare, & suscipit, & ulnis complectitur, talibusque Regnum Cælorum pollicetur, id quod etiam dixit superius. Et nos igitur, si volumus hæredes esse Cælorum, hanc virtutem cum diligentia magna sectemur. Hoc est enim Philosophiæ culmen, simplicem esse cum prudentia. Hæc vita est Angelica. Anima enim puerili omnibus animi morbis vacua est: non memoriam retinet injuriarum, sed eas inferentis adit, ut amicos, ac si nihil factum esset. Et quamvis à matre verberibus cædatur, eam semper quærit, & omnibus anteponit.

Et. Iste est, qui &c.

Lectio VIII.

Si Reginam ipsi ostendas diademate ornata,
tam,

tam, non præfert eam Matri pannis detri-
tis vestitæ, malletque illam incultam vi-
dere, quàm Reginam mirificè amictam.
Nam quod suum, quod alienum est, non
ex paupertate, vel divitiis, sed ex amore
existimare solet, & nihil plus requirit,
quàm necessaria, atque ut lacte repletus
est, statim à mamma abscedit. Non eis-
dem, quibus nos, ærumnis premitur,
nec pecuniarum jacturâ, rebusque simili-
bus, nec iisdem, quibus nos, fluxis rebus
lætatur, neque corporum pulchritudinem
miratur. Ideo dicebat: Talium est enim
Regnum Cœlorum, ut ex proposito vo-
luntatis illa operemur, quæ naturâ suâ
puerî faciunt.

℞. Sint lumbi vestri &c.

Lectio IX.

Quia enim Pharisei non aliunde, quàm
à nequitia, & arrogantia ad agendum
ferebantur, ubique Discipulos suos sim-
plices esse jubet, illosque subindicat, dum
hos instituit. Nihil enim ita superbiam
parit, ut principatus, & primi confessus.
Quoniam igitur Discipuli per totum terra-
rum orbem multùm honoris consecuturi
erant, ipsorum animos prævenit, nec si-
nit eos humanum quid pati, nec honorem
à vulgo expetere, vel ante alios se se effer-
re.

re.
at
en
af
fu
te
pi

07
u
t
C
2

==

..

re.

re. Nam etiamsi hæc parva videntur esse,
at malis ingentibus causam præbent. Sic
enim instituti Pharisei in malorum culmen
ascenderunt; salutationes: primos confes-
sus, & medios requirentes, hinc in arden-
tem gloriæ cupiditatem, inde vero in im-
pietatem lapsi sunt.

Te Deum.

*De præcepto in Univ. Eccl. recitand. ab
omnib. Christifidel. tam Secul. quàm Regul.
utriusq. Sexûs, qui ad horas Canonic. tenen-
tur, (cum Mis. prop.) ex Decr. Urbis &
Orbis edito à Clemente PP. XIV. sub Die
2. Septembris 1769.*

Juxta Exemplar Romanum.

Cum Permissu Superiorum.



Paderbornæ Typis & Sumptibus Wilhelmi
Junffermann, Typog. Aul. 1770.